1666. 457

Caspari Kestringio Consiliario 368

Steinfurti. Ill.mi Comitis Steinfurtensis et Scho.

Si tuus in me amor adhuc perseverat, fortasse lætatus es ad illud nuncium, quo me amplissimis honoribus et officio ornatum esse audivisti. Mihi crede, magnam mihi exhibuit voluptatem, quod eo in loco me collocatum esse sentiam, unde qualicunque officio te venerari demereri possim. Tanti enim semper fuit apud me existimatio nominis tui, tum memoria candidi illius et nivei pectoris, quo me Steinfurti amplexus es, ut magnum mihi ac præclarum facinus exhibuisse videar, si voluntati tuæ servire possum. Peto abs te, Vir Clarissime, ut mihi perscribas et imperes aliquid, quo pietatem meam probes atque agnoscas. Vale Postridie Kal. Febr. M.D.CLXVI.

Johanni Meyero Jurium Candidato 369.

Benthemium.

Sum ingenti turbatus mœrore, postquam litteras tuas luctu et gemitibus plenas accepi. Vetus enim amor quo in familiaritatem clarissimam transivimus me ad communem perducit tristitiam, ut et tuæ illachrymem fortunæ, et suspectorum injuriis multum querar. Atque utinam voto tuo succurrere liceret, non esset, ut hominum malignitatem objurgaremus. Sed recens adhuc et invalida mea auctoritas est, et hujus provinciæ genius non patitur, ut rogani secundum animum subvenire queam. Faciam tamen, ut, si non promovendi felicitatem, saltem juvandi desiderium mihi nunquam defuisse dicas. Tu mihi velim perscribas, quid percupias, ut tibi significare possim an opera mea indigeas. Interea Vale et crede te mihi semper esse Charissimum. Heidelb. 4 Martii M.DC.LXVI.